

hominibus reddi, si sint *vasa iræ*, quæ perfecta sunt ad perditionem; an autem perficiantur ad perditionem ex solo Dei beneplacito, an ex propria malitia, vel aliena culpa emundationem peccati originalis impediende? non decernitur.

Inst. Peccatum originale quantumvis remissum etiam quoad poenam, tamen habetur causa *concupiscentiæ* in homine; ergo et derelictionis in massa damnata et reprobationis. *Conf.* Idem peccatum est fons et radix omnium peccatorum, et potest dici causa motiva, ob quam Deus juste non vult dare hominibus *auxilia congrua* ad non committenda peccata actualia, nec perseverandum in iis usque ad mortem; ergo originale peccatum recte dici potest propria causa, licet remota, reprobationis.

R. N. Cons. *Disparitas* est, quia quamvis *concupiscentia* in homine renato poena non sit, sed mera poenalitas, et quæ etiam in statu naturæ puræ haberet locum; tamen admitti potest aliquo sensu esse effectus originalis peccati; partim quia non fuisset futura in statu integritatis ad Adæ posteros transmissæ: partim quia nihil damnationis in se habet, et relinquitur duntaxat ad agonem: reprobatione autem admissa, multum damnationis adhuc reliquum esset in renatis, et relictio esset ad interitum.

Ad Conf. R. T. A. N. Cons. Sequitur enim ad summum, peccatum originale esse occasionem remotam aut conditionem, sine qua Deus non negaret homini *gratiam congruam*, nec homo actualiter peccaret. Præterea cum negatio auxilii congrui non sit causa peccati, consequenter nec est causa reprobationis, cujus propria causa est peccatum; adeoque nec peccatum originale remissum dici potest causa reprobationis, etiamsi fuerit causa negationis hujus auxilii.

252. *Obj. cont.* 3^{um}. Reprobi ex frequenti Patrum et Doctorum usu vocantur *tantum* vel *simpliciter* præsciti; ergo circa hos non datur actus voluntatis divinæ et reprobatio positiva. *Conf.* 1. Concilium Carisiacum c. 4. (Lab. t. 8. p. 56.) definit unam tantum esse prædestinationem; *Hincmarus* Archiep. Rhemens. præterea etiam negavit impios a Deo prædestinatos poenis; ergo utriusque negarunt reprobationem dari. 2. Ex reprobatione positiva sequitur, tum reprobos non posse salvari, tum Deum esse causam perditionis eorumdem: sed utrumque est erroneum; ergo.

R. D. A. Vocantur *tantum* vel *simpliciter* præsciti, excludendo hæc restrictione decretum justitiæ vindicativæ, et reprobationem positivam post prævisam in peccato finale perseverantiam *N.* excludendo tantum prædestinationem sumptam in sensu communi ac principali, nempe in partem bonam et pro electione ad gloriam *C.* Usus loquendi acceptus est a S. Aug., qui L. de Præd. SS. c. 40. n. 19. ait: *Prædestinatio est, quæ sine præscientia non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia.*

Ad Conf. 1^{am}. R. D. Cons. Negarunt dari reprobationem in sensu prædestinatio et *Gotteschalci C.* in sensu nostro *N.* Capituli verba hæc sunt: *Deus bonus et justus elegit ex eadem massa perditionis, secundum præscientiam suam, quos per gratiam prædestinavit ad vitam, et vitam illis prædestinavit æternam: cæteros autem, quos justitiæ judicio in massa perditionis reliquit, perituros præscivit, sed non ut perirent prædestinavit; poenam autem illis, quia justus est, prædestinavit æternam. Ac per hoc unam Dei*

prædestinationem tantummodo dicimus, quæ aut ad donum pertinet gratiæ, aut ad retributionem justitiæ. Ex quibus patet, a Patribus admissam in Deo esse reprobationem positivam post prævisionem peccatorum, et oppositam fuisse unam prædestinationem duabus *Gotteschalciensis*, quarum una homines ad vitam, altera ad mortem utrinque necessario incurrendam prædestinatos hæreticus ille docebat; qui, quamvis postea non amplius duas sed unam, quam tamen geminam ex comparatione charitatis vocabat, statueret, nihilominus ab errore suo de reprobatione et demerita præcedente et necessitatem inferente non discessit. Licet vero *Hincmarus* prædestinationem geminam, sed in sensu Concilii posito, dici permetteret, et poenas etiam impiis a Deo prædestinari doceret; nunquam tamen passus est dici, *impios* poenis a Deo prædestinari, ne scilicet videretur cum *Gotteschalco* admittere quod Deus non alio consilio impios creavit, quam ut necessario impii fierent, et ex illa peccandi necessitate damnarentur, qui hæreticus sensus erat illorum verborum, quæ Deus impios prædestinare ad poenam dicebatur.

Ad Conf. 2^{am}. R. D. A. Ex reprobatione positiva, quæ nomisi post prævisum peccatum originale vel actuale cum morte conjunctum statuitur, sequitur reprobos non posse salvari etc. *N.* ex ea quæ ante illam prævisionem ponitur *C.* Non intervenire hic necessitatem absolutam et antecedentem, sed hypotheticam tantum ac consequentem, liquet ex alibi dictis. Patet item in nostro systemate causam perditionis refundi non posse in Deum.

ARTICULUS II.

AN ADMITTENDA SIT NEGATIVA REPROBATIO A GLORIA.

253. *Dico.* Non est admittenda reprobatio *negativa* a gloria, sive ea statuatur *ante* peccatum quodcumque, sive statim *post* originale peccatum prævisum.

Prob. 1^a. p. I. Reprobatio *negativa* quoad rem et effectum nihil differt a positiva; sicut enim apud Romanos qui *præteriti* vocabantur ex eo quod, cum legerentur Senatores; a Censoribus eorum nomina non recitabantur, eandem sortem habebant cum *rejectitiis* seu repulsis a dignitate senatoria; et sicut qui in testamento non vocantur hæredes aut legatarii, æque nihil participant ex defuncti bonis, ac qui sunt speciatim exclusi: sic qui reprobatus est *negative*, non plus spei adeundi regni cælorum habere potest, quam positive reprobatus. Sed positiva reprobatio ante peccatum finale prævisum non est admittenda ex dictis; ergo nec *negativa*.

II. Ubi potest esse reprobatio *negativa*, ibi etiam positiva esse potest; tum quia ex *negativa* sequitur positiva; tum quia ratio non est cur Deus nequeat positive velle quod vult *negative*; sed ab adversariorum plurimis ante prævisionem demeritorum absolutam non admittenda statuitur reprobatio positiva; ergo nec admitti debet *negativa*.

III. *Negativa* reprobatio, cum sit antecedens ac infallibilis, æque parum ac positiva consonat cum sincera voluntate salvandi omnes; nec minus repugnat misericordiæ, bonitati, gratitiæ ordinationi divinæ ac redemptioni Christi; ergo.

IV. Nullum est fundamentum ponendi reprobationem *negativam*, nisi simul ponatur condemnatio ad æternum supplicium; tum quia ex dictis sicut prædestinatio fit tantum post prævisa merita, sic et reprobatio in eo tantum signo fit, ubi prævisa sunt omnia demerita: tum quia poena sensus nunquam, saltem in adultis, separatur a poena damni seu exclusione a gloria: tum quia Patres vel utramque reprobationem explicite conjungunt, vel si de reprobatione *negativa* solitarie loquuntur, eandem prævisioni peccatorum actualium subjungunt. 1^{um}, patet ex FULG. L. 1. ad Mon. c. 24. *Deus prædestinavit illos ad supplicium, quos a se præscivit voluntatis malæ vitio discessuros.* 2^{um}, ex PROSP. resp. 3. ad Cap. Gal. *Quod hujusmodi in hæc prolapsi mala sine correctione penitentiae defecerunt, non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt, sed ideo prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt.* Similia habet resp. 7. et 12.

Prob. 2^a. p. I. Apud patronos *hujus sententiæ* tria tanquam certa supponere licet; 1^o. Prædestinationem et non prædestinationem seu negativam reprobationem fieri pro sola Dei voluntate et libero arbitrio, sine ullo respectu ad merita vel demerita creaturæ absolute futura: 2^o. In eo rationis signo ac instanti, quo Deus aliquos prædestinat, et reliquos non prædestinat, penitus absolvi totum prædestinationis negotium, adeo ut post illud instans nulla amplius ullius prædestinatio fiat: 3^o. Illos tantum consequi salutem, qui prædestinantur; omnes vero illos damnari, qui non prædestinantur.

Corollaria, quæ ex hypothesibus istis deducuntur, oppido falsa sunt et absurda. Eorum 1^{um}. est, non esse in libertate hominis consequi salutem. Nemo enim salutem consequitur, nisi prædestinatus, ex 3^a. hypothesi: sed esse prædestinatum vel non esse, non est in libertate hominis, cum juxta 2^{am}. hypothesin prædestinatio vel non prædestinatio pendeat a sola Dei voluntate, nullatenus autem a meritis vel demeritis creaturæ; ergo. 2^{um}. Coroll. est, negative reprobatos non posse salvari. Qui possunt salvari, debent posse prædestinari; sicut enim nemo actu salvatur, nisi actu prædestinatus, sic nec potest salvari nisi potens prædestinari: sed negative reprobatum non possunt prædestinari; quia juxta hypothesin 2^{am}. post gratuitæ prædestinationis aut negativæ reprobationis instans nulla amplius prædestinatio fit; ergo negative reprobatum, hoc ipso tantum quod sint tales, non possunt salvari. 3^{um}. Coroll. est, Deum esse primam causam nostræ perditionis. Qui non prædestinantur, infallibiliter damnantur secundum hypothesin 3^{am}. sed Deus est prima, imo unica causa quod homines non prædestinentur secundum hypothesin 1^{am}. ergo et prima est causa quod homines damnentur.

II. Supposita reprobatione *negativa* absoluta et antecedente peccati cujusque prævisionem, necesse videtur, ut Deus in executione hujus reprobationis neget auxilia efficaciam, et det inefficacia eo consilio ut reprobi non salventur; quia sicut ex prædestinatione absoluta et antecedente sequuntur in tempore auxilia efficaciam tanquam effectus et media, quibus prædestinatus certissime salvetur, sic ex reprobatione *negativa* sequi debet subtractio auxiliorum efficacium et largitio inefficacium tanquam effectus, utpote sine quibus reprobi non perirent, qui tamen certissime pereunt. Sed hoc foret insidiari hominum salutem, nec componi potest cum seria voluntate salvandi omnes, et reputat attributis Dei pluribus; ergo,

III. Juxta S. AUG. *si massa illa, ex qua Deus facit aliud vas in honorem, aliud in contumeliam, non esset ex Adam damnata sed ita media: ut quem admodum nihil boni, ita nec mali aliquid mereretur; tunc, ut ait ep. 106. (al. 186. c. 6. n. 18.) non frustra, h. e. non sine fundamento, videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam: aut, ut ep. 137. (al. 190. c. 3. n. 9.) inquit: Merito videretur injustum, quod sunt vasa iræ ad perditionem: sed juxta eos, quos hic oppugnamus, sententia S. AUG. non minus ac c. 9. ad Rom. agit de reprobatione *negativa* a gloria; et vasa in contumeliam non fiunt ex massa damnata sed media, cum reprobatio *negativa* admittatur etiam prævisionem peccati originalis antecedere; ergo reprobatio hæc merito nec frustra videtur injusta et iniquitas.*

Prob. 3^a. p. Reprobatio *negativa* statuitur post prævisionem peccati originalis, ut peccatum originale possit dari pro causa ejus motiva: sed peccatum originale nequit dici causa moralis et motiva reprobationis negativæ; ergo.

Min. prob. 1^o. Juxta patronos *hujus sententiæ* nullum peccatum præcedens fuit causa reprobationis negativæ in angelis; ergo nec originale erit motivum reprobationis hujus, si datur, in hominibus. 2^o. Peccatum originale præcise ut contractum est commune tam iis qui dicuntur gratuito prædestinati, quam iis qui audiunt *negative* reprobatum; ergo non potest dici verum motivum negativæ reprobationis; quia non movet Deum ut omnes non prædestinet, cum tamen verum motivum determinare debeat, ubicumque invenitur. 3^o. In pluribus *negative* reprobatum peccatum originale prævisum est dimittendum ac dimissum: sed peccatum originale dimissum nequit esse motivum reprobationis negativæ, cum nequidem radix et remota causa esse possit reprobationis positivæ et exclusionis; ergo.

254. *Observa.* Ad intelligendam sententiam S. AUG. de reprobatione, quam Auctores prædestinationem gratuitam asserentes negativam volunt, ex ejus scriptis nonnulla annotare juvat. I. *Massa perditionis* est universitas hominum damnationem æternam meritorum, qui reipsa damnantur, sive dein propter originale, sive propter actuale, sive propter utrumque usque ad mortem perseverans damnentur. II. Hæc massa non est eadem cum *peccato originali*; sed hoc dicitur illius causa, quia propter peccatum originale in Adam commissum et contractum ejus posteritum omnes tum primo damnationem sunt meriti. III. Ab hac massa liberantur, sed temporaliter tantum et imperfecte, qui *justificantur* quidem, sed in justitia usque ad mortem non perseverant. Quamvis enim illi non mereantur amplius damnationem propter originale utpote jam dimissum, merentur tamen propter actuale peccatum; et hinc in massam perditionis relabi dicuntur; non quod in originale peccatum aut in illius peccati poenam numero eandem recidant, sed quod propter actuale peccatum mereantur damnationem, quæ illis alias propter originale, sed jam dimissum debebatur. Finaliter vero et perfecte liberantur, qui in justitia perseverant usque ad mortem, et glorificantur. IV. Nequidem temporaliter liberantur a massa perditionis, qui relinquuntur seu permanent in peccato originali: finaliter saltem non liberantur, qui in suscepta justitia non perseverant, et in actuali postea commissio relinquuntur seu permanent; utrinque autem æterna damnatione ob peccatum respective perseverans ad mortem usque afficiuntur. V. Causa *immediata* et proxima

tam liberationis quam non liberationis seu desertionis ac relictionis est tam prædestinatio quam non prædestinatio; quia liberatio et relictio sunt actio vel non actio Dei extra se in tempore operantis, quæ pro sua causa habent jam ab æterno et in mente Dei decretum seu voluntatis exercitium: *mediata* et remota utriusque causa est eadem, quæ est causa prædestinationis vel non prædestinationis. VI. Causa prædestinationis et non prædestinationis *comparate* sumptarum est mera Dei voluntas; quia sic vel sumitur pro ea divinæ providentiæ œconomia, qua Deus eligit vel non eligit eam auxiliorum ac rerum seriem, quam præscit profuturam; hoc vero satis constat pertinere ad altitudinem sapientiæ Dei et inscrutabilia ejus judicia viasque investigabiles: vel sumitur pro ea, qua alteri decernit vocationem congruam aut perseverantiam, alteri autem eam non decernit; et hoc constat pertinere ad distributionem gratiarum, quam Deus tanquam donorum suorum Dominus ac nullius debitor pro suo beneplacito facit. VII. Peccatum originale præcise ut contractum dici potest causa per se sufficiens non prædestinationis *absolute* sumptæ. Causa enim illa intelligitur esse talis, quæ sola sufficit, ut, si Deus negaret homini omne auxilium ad delendum peccatum salutemque consequendam, ac sineret eum in statu originalis peccati labe infecto mori, indeque afficeret æterna damnatione, id juste ipse facere, nullus autem juste de illo conqueri posset: sed peccatum originale est causa ejusmodi; quia per illud etiam præcise ut contractum homo constituitur odibilis Deo, inimicus et filius iræ; atque hinc dignus, ut privetur divino auxilio, deseratur et damnetur; ergo. VIII. Peccatum illud non est causa non prædestinationis de facto movens et efficiens. Nam post peccatum illud prævisum ut contractum, Christus decretus est ut Salvator omnium, et Deus etiam habet voluntatem sinceram omnes salvandi; ergo istud demeritum peccati ob Christi mortem efficaciter movere non potest, et ob voluntatem salvandi omnes nequeunt negari auxilia sufficientia, vel dari ut inefficacia; multoque minus ex peccato originali ut præcise contracto damnatione homo affici potest. IX. Peccatum originale prævisum ut *perseverans* et cum morte conjungendum est sæpius causa per se et de facto movens non prædestinationis ad gloriam; quia de facto plures damnantur propter originale peccatum cum morte conjunctum vel solum, vel propter illud et actuale peccatum simul usque ad mortem perseverans; ergo et propter illud prævisum non prædestinantur, sed reprobantur a gloria. Porro ex his principiis facile solvere licebit, quæ pro asserenda reprobatione negativa, post originale peccatum præcise ut contractum facta, objici solent.

QUERES I. An detur reprobatio a gratia, et quæ ejus causa?

253. *Nota.* Reprobatio a gratia est subtractio gratiæ et permissio peccati, stans in aliquo actu Dei positivo. Prout hic accipitur in ordine ad gratiam tantum, non solum præscindit a damnatione vel reprobatione ad gloriam, quemadmodum id in acceptione prædestinationis ad gratiam respectu gloriæ fit; sed respectum etiam ad damnationem quasi excludit, quod non facit prædestinatio ad gratiam ratione gloriæ. Quamvis enim hæc, si sumatur ut prædefinitio, abstrahat an gloriam absolute sequatur nec ne; tamen præsupponit in Deo voluntatem salvandi omnes, et formaliter intendit actum

bonum, qui per se est meritum gloriæ, adeoque non potest gloriam non respicere: e contra reprobationem a gratia *ex dictis* non potest in Deo antecedere voluntas damnandi, nec Deus reprobans ab uberiore gratia peccatum vult et intendit, sed simpliciter permittit.

256. R. I. Deus neminem reprobat a gratia sufficiente, multos ab efficaci.

Ratio 1^æ. p. habetur ex voluntate Dei salvandi omnes; quam supra non tantum respectu adultorum sed et infantium stabilivimus; hæc enim voluntas, cum sterilis non sit et otiosa, sufficientiam ad salutem præparare ac offerre debet.

Ratio 2^æ. p. est, tum quia plures gratiæ a Deo homini datæ carent effectu, cum tamen Deo non desint aliæ gratiæ habituræ effectum; tum quia multi peccant, qui nequidem peccare possent, si Deus efficaciter vellet impedire; adeoque permittit peccatum.

257. R. II. Ex parte hominis non datur causa præcedens subtractionis gratiæ *primæ efficacis* aut permissionis *peccati primi*.

Prob. Hujusmodi causa 1^o. non est voluntatis humanæ resistentia sub conditione prævisa, quia propter merita vel demerita conditionata nihil a Deo fieri certum est contra *Semipelagianos*. Nec 2^o. est abusus aut non usus gratiæ sufficientis præcedentis; quia destinatio gratiæ sufficientis, qua abusus vel non usus homo prævidetur, jam *formaliter* aut *æquivalenter* est subtractio gratiæ efficaciæ, seu talis qua bene usus homo prævidetur, si daretur; ergo pro causa subtractionis gratiæ efficaciæ primæ non potest assignari abusus vel non usus gratiæ sufficientis præcedentis; cum hujusmodi subtractio non esset gratiæ primæ sed secundæ efficaciæ. Nec 3^o. est peccatum actuale præcedens; quia ante subtractionem gratiæ efficaciæ primæ et permissionem primi peccati nequit præsupponi peccatum actuale aliud, quod ipsum sine permissione peccati et subtractione gratiæ efficaciæ non est factum. Nec 4^o. est peccatum originale; tum quia in angelis et protoparentibus peccatum hoc non præcesserat, et tamen fuit subtractio gratiæ efficaciæ ac permissio peccati: tum quia hoc peccatum commune est omnibus hominibus; adeoque non potest esse causa movens, ut Deus subtrahat quibusdam tantum sufficientiam congruam ad Baptismum accipiendum, aut gratiam efficacem ad abstinendum a peccato; cum alias debuisset Deum movere ad subtrahendam omnibus illam sufficientiam et gratiam.

Hinc ubi S. Aug. subtractionem gratiæ efficaciæ aliquando rejicit in peccatum originale, non assignat causam moventem, sed duntaxat sufficientem; quod vel ex eo patet, quia S. Doctor per id contra *Pelagianos* contendit duntaxat ostendere, Deum iniquitatis ac injustitiæ in distributione gratiarum accusari non posse, cum omnes gratia indigni sint. Dixi, *non datur causa præcedens*; eatenus enim *concomitans* admitti potest, quatenus homo per non usum aut abusum gratiæ facit, ne illa sit efficax et effectum sortiatur, quem potuisset habere, si homo gratiæ voluisset cooperari. Hoc enim sensu Aug. L. 2. de Pecc. mer. et remiss. c. 17. n. 26. inquit: *Hominum adjuvat voluntates (gratia): qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est; non in Deo.* Et L. 1. ad Simpl. q. 2. n. 10. *Noluit ergo Esau et non cucurrit: sed*

et si voluisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui ei etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobus feret.

258. R. III. Ex parte Dei datur quidem hujus subtractionis et permissionis causa, ea tamen non est ostensio justitiæ divinæ.

Ratio 1^æ. p. est, quia hæc œconomia est effectus providentiæ divinæ et ab altissimis sapientiæ consiliis dirigitur: neutrum autem stare potest sine causa et fine actionis.

Ratio 2^æ. p. est, quia voluntas ostendendi divinam justitiam vindicativam vel supponeret culpam tanquam pœnæ causam, quod *num. præced.* fieri non posse diximus; præsertim cum subtractio gratiæ primæ etiam contingat post peccatum originale dimissum: vel virtute vellet poni culpam, in quam postea vindictam stringeret; quod Deo tribui non potest. Porro quamvis nonnulli, nec sine fundamento, pro causa ex parte Dei soleant assignare voluntatem manifestandæ misericordiæ ac libertatis suæ erga electos, vel ostendendæ libertatis in hominibus aut fragilitatis naturæ humanæ; nos tamen juxta Apostoli et Augustini monitum judicare nolumus, neque in judiciorum Dei vias investigabiles ingredi audemus, quas non tantum agnoscimus in distributione gratiarum comparate ad diversa subjecta, sed et in destinatione aut subtractione gratiæ respectu ejusdem subjecti.

259. R. IV. Datur causa subtractionis subsequentium gratiarum et permissionis peccatorum posteriorum; eaque ex parte hominis est peccatum præcedens, ex parte Dei manifestatio justitiæ.

Ratio 1^æ. p. est, quia juxta principium a S. Aug. L. de Nat. et Gr. c. 26. datum, et a Concilio TRID. Sess. 6. c. 11. confirmatum: Deus semel justificatos non deserit, si non deseratur, ut pie semper justeque vivatur; ergo si deserit, prius ab hominibus desertus fuit; ergo datur aliqua causa subtractionis. Huc refertur a pluribus locus S. Augustini ex ep. 105. (al. 194.) ad Sixtum.

Ratio 2^æ. p. est, quia non usui, abusui aut resistentiæ gratiæ et aliis peccatis in Scriptura tribuitur, cur Deus neget gratiam vel auferat, dimittat hominem desideriis suis, tradat in passiones ac sensum reprobum, excæcet ac induret.

Ratio 3^æ. p. est, quia juxta regulam a S. Aug. L. 3. de lib. arb. c. 3. n. 3. traditam, *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, scias fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem.* Melius autem est, Deum in subtractione gratiæ et permissione peccati facere ultorem pro culpis nostris, quam pro solo beneplacito agentem, ubi hoc fieri potest; cum hac ratione facilius declaretur divina pietas, et quantum in Deo est, inclinata ad omnes salvandos voluntas; ergo.

260. *Observa.* Voluntas negandi gratiam efficacem tria dicere potest: 1^{um}, quod Deus directe velit ut illa gratia, quam dat, non sit efficax: 2^{um}, quod licet Deus prævideat alias gratias habituras effectum, si darentur, non tamen velit eas dare; tum quia eas non debet: tum quia secundum providentiæ ordinem communem, quem immutare non vult, non se offert occasio illas tribuendi: 3^{um}, quod Deus prævidens gratiam ordinario cursu

conferendam, ex propria voluntate et malitia hominis non sortituram effectum; hanc tantum dare velit, et reliquum defectum permittere. Ex his voluntati divinæ gratiam negandi non nisi duplicem sensum postremum tribuimus, primum autem ab ea removemus. Porro eadem dicere etiam potest permissio peccati; utpote in qua duo includuntur: 1^{um}, est aliquid positivum, nempe concursus quem Deus vult dare homini ad efficiendum actum peccati, siquidem is peccare velit: 2^{um}, est negatio auxilii, quod Deus prævidet fore efficax ad impediendum peccatum, seu ad tenendum hominem ne peccet. Unde quoad *posterius* idem dicendum est, quod de gratiæ negatione proxime diximus: quoad *prius* autem nihil attinet hic dicere; cum hic sit effectus communis providentiæ, quam Deus ut prima causa et universalis gubernator quodammodo debet causis secundis.

QUÆRES II. Quinam sint effectus reprobationis?

261. R. I. Peccatum nullum est effectus reprobationis.

Ratio est, quia effectus reprobationis debet esse a Deo intendente ac præparante: peccatum autem sic a Deo non est; ergo. Neque dici potest id intelligendum esse de peccato quod tantum est culpa, non autem de eo quod est prioris pœna: nam imprimis falsum est peccatum sequens esse pœnam prioris; cum subtractio auxilii efficacis et permissio peccati hanc pœnæ rationem habeat, non ipsum peccatum: deinde vero si admitteretur etiam in peccato aliquo relatio hæc seu denominatio pœnæ; tamen pœna ejusmodi realiter aut in particulari sumpta includeret rationem culpæ, quam Deus nec velle nec ordinare potest, ut sit: adeoque nec Deus causa illius, nec illa effectus reprobationis esse potest.

262. R. II. Nulla subtractio gratiæ aut permissio peccati est reprobationis effectus.

Ratio est, quia reprobatio *proprie talis* incipit a præscientia peccati finalis; ergo quidquid ex parte Dei antecedit hanc præscientiam, non potest esse effectus reprobationis; cum alias effectus suam causam præcederet: sed gratiæ efficacis subtractio et permissio peccati ut præcognitæ antecedunt hanc præscientiam; cum peccatum esse nequeat, nisi gratia efficax abesset et permitteretur peccatum; ergo. Præterea *ex dictis* reprobationis effectus non est, nisi qui a Deo fit ex intentione jam deliberata hominem damnandi propter peccata: sed nec gratiæ subtractio nec peccati permissio ulla ex hac intentione procedit; quia hæc fundari debet in culpa hominis non utcumque spectata, sed ut jam desperata et finali; ergo.

263. R. III. Nec perseverantia in peccato nec obduratio effectus sunt reprobationis.

Ratio est, quia si sumuntur ut mala culpæ, dicuntque perveraciam voluntatis malæ adherentis; continentur sub asserto primo: si vero sumantur ut mala pœnæ, dicuntque privationem gratiæ uberioris, et permissionem peccati, ad assertum secundum pertinent; utrobique autem a ratione proprii effectus ex reprobatione strictè tali provenientis excluduntur. Neque huic

obest, quod Aug. L. de dono pers. dicat : *Sicut prædestinationis effectus est gratiæ appositio, ita reprobationis æternæ quodammodo esse videtur obduratio* : nam præterquam quod particula *quodammodo* imminuat significandi rationem et dicti proprietatem alienet, vel ex ipsa etiam comparatione constat, non agi de reprobatione a gloria, cum nequidem prædestinatio hic in ordine ad gloriam accipiatur.

264. R. IV. Pœna tum *damni* tum *sensus* sola alterius vitæ est reprobationis effectus.

Ratio dicti est, quia utraque pœna est a Deo justo vindice, eaque intentione, ut peccator æternum luat, quemadmodum ex sententia Christi Matth. 25. patet. *Ratio exceptionis* constat tum ex præmissis, tum quia pœnæ hujus vitæ nunquam sunt pure vindictivæ; sed quantum est ex parte Dei, medicinales esse possunt, si homo velit converti. Quod mortem in statu peccati attingit, si ea, ut *regulariter* fit, accidat ex generalibus causis Deo permittente, effectus reprobationis non dicitur, cum ante illam mortem permissam et ut absolute futuram prævisam, non absolute prævidetur peccatum finale futurum, quod scilicet per ipsam mortem fit peccatum finale; consequenter nec ante intelligitur reprobatio seu sententia talem hominem damnandi. Si vero mors eveniat ex speciali ordinatione et causalitate Dei, qualis v. g. fuit in *Dathan* et *Abiron* a terra per miraculum hiante confectis, potest effectus reprobationis dici; quia hæc mors est velut traditio hominis adhuc viventis in manus tortoris atque æternæ damnationis initium, ante cujus prævisionem Deus jam decrevit hunc hominem propter sua peccata damnare, atque ad hoc illam mortem ordinavit.

ARTICULUS III.

AN PRÆDESTINATIANA HÆRESIS FICTA SIT ET COMMENTITIA, AN AUTEM VERA ET REALIS?

265. *Nota I.* Ut hæresis aliqua re ipsa extitisse dicatur, duo requiruntur et sufficiunt; 1^{um}. ut dogma sit perversum et contra fidem; 2^{um}. ut extiterint aliqui dogmatis illius assertores; sive demum in factionem coaluerint, sive non. Quod ad dogma spectat, illius varia jam olim capita retulerunt GENNADIUS in appendice ad S. AUG. librum de hæres., FAUSTUS Episc. Rejensis in epist. Conc. Arelatensis, LUCIDUS PRESB. in libello ad Conc. Lugdunense delato, Auctor libri, quem SIRMONDUS, sub nomine PRÆDESTINATI edidit, et HINC MARUS in ep. ad Nicol. I. Pontificem.

Præterea ex his, unde *Prædestinatiani* vocantur, est, singulos homines antecedenti, absoluto ac necessitante decreto a Deo prædestinari alios ad vitam seu salutem, alios ad mortem seu damnationem; cujus perversitas ex triplici prædicato decreti apparet, et ex data ab antiquis explicatione dogmatis alias ambigui colligitur. Quatuor inde alia capita deducunt: 1^{um}. Deo non inesse voluntatem salvandi omnes, sed eos tantum, qui re ipsa ex prædestinatione illa salvantur; hinc nec creatos omnes, ut salventur, nec ea voluntate vocatos, ut vocantem sequantur: 2^{um}. Christum non fuisse mortuum pro omnibus, cum multi damnentur, sed dumtaxat pro prædestinatis ad vitam:

3^{um}. nullum esse in homine liberum arbitrium; cum nihil sit, nisi quod voluerit Deus, et tam gratia quam destinatio Dei ad malum invitos etiam trahat et compellat: 4^{um}. Sacramenta in prædestinatis ad mortem otiosa esse et sterilia, nec iis conferre gratiam ac peccatorum remissionem; adeoque illos etiam post Baptismum legitime susceptum perire in Adam seu ob peccatum originale: quin et ipsos ad vitam prædestinatos non accipere fructum ipsum, sed tantum spem fructus sacramentalis in cœlo possidendi.

Horum dogmatum assertores secundum diversa tempora extitisse a Patribus, Historicis aut Theologis perhibentur: tum *primis quatuor seculis* et ante pugnam Augustini cum Pelagianis eorumque reliquiis susceptam; tum *seculo quinto*, sive Augustino adhuc vivente, sive eo jam mortuo et Prospero ac Hilarii ætate, sive Arelatensis et Lugdunensis Concilii tempore et eo seculo jam inclinante: tum sub *nomi seculi* medium, inter quos maxime *Gottschalcus* memoratur: denique posterioribus seculis fuerunt præformatores Lutheranae et Calvinianæ hæresis etiam quoad errores Prædestinationis, *Wicleffus* nempe et *Joannes Huss*.

266. *Dico I.* Prædestinatianam hæresin primis jam seculis enatam esse, non satis ostenditur; proximis ante Lutherum et Calvinum seculis extitisse, indubitatum est.

Prob. 1^a. p. Tum quia Scriptorum plerique omnes hæresin hanc ex libris S. AUG. male intellectis natam asserunt, et nemo eorum in assignando illius ortu ultra seculum quintum ascendit: tum quia Patres quidam, qui vel primarii dogmatis meminerunt, vel errores cum corollariis, communes *Manichæis* et *Pelagianis* impugnant, non sufficiunt ad asserendam illis temporibus existentiam prædestinatianæ hæresis: ii enim Hæretici libertatem arbitrii alio ex capite, quam *prædestinationis*, negarunt.

Prob. 2^a. p. *Wicleffus* et *Joan. Huss* asseruerunt prædestinatos necessario in bono perseverare et salvari; præcitos autem necessario peccare et damnari: hoc autem ideo fieri, quia omnia necessario eveniunt: hanc porro necessitatem oriri a præsentia Dei et prædestinatione; uti patet ex eorum artic. damn.; ergo.

267. *Dico II.* An hæresis prædestinatiana extiterit *seculo v.* aut *ix.* inter auctores adhuc controvertitur.

Exponitur. Extitisse his seculis hæresin illam, asseruerunt recentiores seculi xv. et xvi. Scriptorum ALPHONSUS DE CASTRO, DIDACUS ALVAREZ, BARONIUS, BELLARMINUS, BINIUS, SPONDANUS, aliique omnes, qui illius hæresis meminerunt. Primus, qui ea ætate id negavit, fuit *Jacobus Usseus* calvinista, tum in historia Gottschalci ac prædestinatianæ controversiæ an. 1631., tum in Britannicarum Ecclesiarum antiquitatibus an. 1639. editis. Hunc secutus est e Catholicis *Jansenius*, qui priore Usseii opere explicato, L. 8. de Pelag. hæres. pro fabula declaravit hæresin prædestinatianam. Duumviris his opposuit se JAC. SIRMONDUS S. J. qui, post alia præmissa demum an. 1647. in lucem dedit historiam prædestinatianam: ubi tres hujus hæresis epochas distinguit. In *prima* earum statuit, sectam illam an. 424. exordium sumpsisse apud Monachos *Adrumeti*; sed ab Augustino mox extinctam: emerxisse tamen postea apud *Massilienses* in Gallia, ad cujus excisionem cum